


TENTAMEN VIII.

*Canaliculorum angustiorum recens - observata
Phænomena, & oculis videnda, & iudicio ad causas
suas deducenda subjiciens.*

PHÆNOM. I.

Observatum est in Canaliculis vitreis angustioribus, e. g. cavitate suâ pisi aut lenticulæ magnitudinem, plus minus, adæquantibus, cum aperti utrinque in aquam aliquousque demitterentur, hanc, sive calida esset sive frigida, supra reliquæ aquæ, canaliculum extra ambientis, superficiem notabiliter elevari. Et quidem



II. Quo arctior esset canaliculus, eò altius. Confer AB, CD, EF in Fig. XXXIII.

III. Quò altius emerit tubulus super aquæ superficiem, eò altius in ipso ascendit aqua, cæteris scil. paribus. Compara inter se GH & IK.

IV. Assumpto licet brevior tubulo ML & eò usque immerso ut pars eminent LM minor esset segmentis aliorum longiorum & æquè ampliorum, ab aqua supereminente IN vel GO occupatis; non ascendit tamen aqua ultra canaliculi labia, nec effluit.

V. Ca-